Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



subito facta est cum angelo multitudo celestis militie laudantium deum et dicentium Gloria
in altissimis deo Et in terra pax hominibus bone voluntatis Ymnus ille non
tantum est angelorum sed hominum congratulantium quod mulier illa que perdidit draginam
decimam iam lucernam accenderat ut draginam perditam inveniret Et
pastor dimissis quoque ovibus in deserto iam venerat ut quereret ovem centesimam
quam amiserat Ante nativitatem enim xpi tres erant inimiciciarum
parietes Primus inter deum et hominem homo namque per mobiliam creatorem offende
rat per suum casum Restaurationem angelicam impedierat per varios ri
tus se ab homine superaverat Judeus namque cerimonias excolebat Gen
tilis ydolatriam exercebat uterque ritus alteri displicebat Sed veniens
pax nostra fecit utraque unum destruxit inimiciciarum materias Et concur
rentes parietes in se angulari lapide copulavit ut de cetero esset unum ovile et
unus pastor Abstulit ergo peccatum et reconciliavit hominem deo reparavit ca
sum Et reconciliavit hominem angelo Destruxit ritus et reconciliavit hominem homini
Restauravit ergo secundum apostolum que in celis et que in terris sunt Et ob hoc illa celestis
militie multitudo psallebat Gloria in excelsis deo id est angelis dei Et
in terra pax hominibus videlicet et gentilibus bone voluntatis Hinc est etiam quod angelus
loquitur et congaudet pastoribus quia pax est in ~~terra~~ inter angelos et homines refor
mata Nascitur deus et homo quia pax est inter deum et hominem restau
rata Nascitur in presepio bovis et asini quia pax inter homines et homines
reparata Per bovem enim Judaicus per asinum gentilis populus figuratur
secundum illud Cognovit bos possessorem suum et asinus presepe domini sui
Symachus papa constituit tam die dominico quam Natalicijs martirum
Gloria in excelsis admissa cantari quem ymnum Telesphorus novus
a beato petro ad missam nocturnam natalis domini quam idem ~~instituit~~ in
stituit cantari preceperat et in eo ad angelorum verba que sequuntur adiecit
quam quam a pluribus asseratur quod ea beatus hylarius pictaviensis adiecerit

Ad significandum itaque gaudium **De candelabris et cruce**
duorum populorum de nativitate xpi letantium in cornibus altaris
duo sunt constituta candelabra que mediante cruce faculas ferunt
accensas Angelus enim inquit pastoribus Annuncio vobis gaudium magnum
quod erit omni populo quia natus est nobis salvator etc Hic est verus ysaac
qui risus interpretatur Lumen autem candelabri fides est populi Ita
ad ~~in~~ Judaicum populum inquit propheta Surge et illuminare Jerusalem quia ve
nit lumen tuum et gloria domini super te orta est Ad populum gentilem
dicit apostolus Eratis enim aliquando tenebre Nunc autem lux in domino Nam
et in ortu xpi nova stella magis apparuit secundum Patricium
Balaam Orietur inquit stella ex Jacob et consurget virgo ex Israel
Inter duo candelabra crux in altari in ecclesia collocatur quoniam